Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Stammbuch des Leonhard Laurentius aus Augsburg - Cod. Karlsruhe 3309

Laurentius, Leonhard

Straßburg, [1633-1664]

Motti zum Stammbuch

urn:nbn:de:bsz:31-20561

Visual Library

α ☧ ω.

Ad Φιλαττικάκιον Elogium Directum.

Hic Liber est Coelum, radiant ubi sydera quævis,
Seu Majora cupis, sive minora petis.
Hic Liber est Hortus, vario qui flore superbit,
Sive rosas pascis, Lilia sive cupis.
Hic Liber Aucupium, charta est vel candida rete,
Hinc Aquilas, Cygnos, Cæruleosve capis.
Hic Liber Uber Ager, quævis est pagina sulcus,
Semina si qua seris, candida Amice sere.

Joh. Heinr. Schill, Durl.
Disc. P. L. idem. struxit.

3.

Hic Liber optat, amat, fugit, indignatur, anhelat;
Pallada; candorem; Stulta; profana; sales.
2.

Hic Liber odit, amat, nescit, veneratur, honorat:
Scommata; candorem; turpia; pulchra; bonos.
3.

Sunt duo quae tales commendant dona Libellos:
Pignus Amicitiae; scriptaq digna legi.
4.

Non licet à facie praesentem cernere quemvis;
Sed licet autographo cernere quemq suo.
Jos. Voith.

Praesentes

Præsentes quoniam non semper habemus amicos,
Signa juvat caræ posse videre manus.
Si vacat ergo tuum mihi nomen amabile scribas,
Si quid et ulterius scribere forte juvat.
Pictaq́ præterea licet huc insignia ponas,
Quæ tibi vel virtus, vel dat habere genus;
Id quicunq́ voles, equidem præstabo vicissim;
Sint ut Amicitiæ Mutua signa meæ.

Taub. m. H. Philothes.

Rasa tabella meus Liber est, sed idonea pingi,
At, nisi qui bonus est, pingere nemo potest.
Pinge manus Animiq́ typum, vel stemmatis; Album est
Hoc ipso ejicitur nomine, qui Niger est.

Hic Liber ingenuis est consecratq; amicis,
Hos ut ego Memori corde subinde colam.
Forsitan ingenti spatio si terra fideles
Separat, et regio non habet una duos.
Sæpè petunt etenim gemini diversa sodales;
Ille Scythas, calidos hic orientis agros.
Hesperias [redacted] adit ille plagas, adit ille Britannos;
Teutonas hic, aliam versus it alter humum.
Et peregrinq; abest longissima tempora; sic ut
Dum procul est, cadat è pectoris arce, diu.
Bis duo Lustra dolis aberat famosus Vlysses;
In Patriam rediens, non bene notus erat.
Sæpè redux proprias frater non nosse sorores
Fertur, et inventum fida Marita virum.